



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De libris in causis criminalibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

De libris in causis ciuilibus.

Lib. Manualis actorum. Habeat librum manuum publicam auctoritate munitum ad formam positam in libro Prothocosi: in quo describantur omnia acta quae fiunt in singulis causis ciuilibus ordinarijs, etiam summarijs & executiuis, etiam appellationum, iuxta ordinem praescriptum in modo procedendi ipsarum causarum.

Lib. Testium. Habeat librum auctoritate publica munitum vsupra: in quo describantur depositiones ac dicta testium, quos examinari contingerit in quibuscunque causis, quae a Vicario in ciuilibus communiter cognosci solent.

Lib. sententiarum. Habeat librum publicam auctoritate corroboratum, vsupra: in quo describantur omnes sententiae; & in eodem notentur etiam quae feruntur, prout in cedula; idque intra duos menses a die pronuntiationis, vt in cedula: quae cedula etiam reponatur in filcia. Si vero contingat appellari; cedula etiam appellationis ab appellante data, reponatur in filcia.

De libris causarum ciuiliu ad Vicariu generalem spectantium.

Habeat praeterea alios libros, quot necessarii fuerint ratione supra scripta; in quibus separatim ad formam actuum & depositionum in causis ordinarijs describantur omnia acta, depositiones ve, quae coram Vicario generali, vel alio Iudice, coram quo fieri contingat aliquid eorum, quae ad officium Vicarij generalis, vel ordinaria vel delegata auctoritate pertinent in causis ciuilibus.

De libris in causis criminalibus.

Lib. Infor- mationum. Habeat quatuor libros publicam auctoritate munitos in causis criminalibus.

Primum, in quo describantur querelae, denunciations, expositiones, ac dicta testium pro informatione Curiae recipiendorum; quae quidem querelae, denunciations, & dicta testium recipi possint a quolibet ex substitutis, cum interuentu Procuratoris Fisci; etiam sine praesentia Iudicis criminalis: qui inscribatur; liber Informationum.

Secundum, in quo describantur omnia constituta reorum: & nuncupator, liber Constitutorum.

Tertium, verò, in quo describantur dicta testium, tam pro Fisco, quam pro ipsi- sis reis, parte citata examinandorum: appelleturq; liber Tertium.

Quartum, qui vocetur Manualis actorum, in quo describantur omnia acta, quae fieri contigent in causis criminalibus, eadem ratione qua dictum est supra de manuali in causis ciuilibus.

Hi verò quatuor libri duplicari vel multiplicari debent pro numero Notariorum substitutorum, qui causis criminalibus dant operam; ita vt singulorum quatuor libros illos habeant ad vsum processuum Ciuitatis, ac totidem pro Diocesi; excepto libro manuali, qui communis erit & Diocesi & Ciuitati.

Habeat librum auctoritate publica munitum Cancellarius praeterea sententiarum, eadem forma qua supra in ciuilibus confectum: in eo tamen non describantur sententiae visitationum; neque quae ad moniales, aut regulares viros pertinent.

Si continget fieri gratiam de aliquo crimine, vel moderationem poenae, Cancellarius in librum sententiarum, & ipsis cedulis sententiarum, & in manuali, vbi ille sit condemnatus per viam decreti, notet in margine breuibus verbis praedictam gratiam, & moderationem.

Interdicta, quae fiunt Mediolani a Vicarijs, summatim sine processu notentur in manuali; & relaxatio ipsorum notetur item in margine decreti interdicti.

De processibus ciuilibus vel criminalibus extraordinarijs extra Ciuitatem.

Si contingat extra Ciuitatem siue in ciuilibus siue in criminalibus causis testes extra visitationem examinari, in quaternis depositiones describatur; nisi ob grauitatem causae Vicarius iusserit non in quaterno, sed in libro quem scilicet Notarius afferat, describi.

Haec verò depositiones in quaternis scriptae, statim ac Mediolanum delatae fuerint, seruentur in filcia connexa simul in modum

Lib. cōstitutorum.

Lib. Testium.

Lib. Manualis actorum.

Lib. sententiarum.